

non aliter distinguitur, quàm perceptio sensualis à perceptione sive intellectione pura.

7. Scaliger, Exerc. 298. sect. 3. qui puellam tangit, non ejus manus, sed mens afficitur voluptate, ubi si per *τὸ affici* intelligit secundum gradum sensûs, uti par est in tali oppositione, id omnino affirmat, quòd nos de cunctis sensibus asserimus.

EXERCITATIO XCIV.

De Methodo, quâ opera Dei considerantur in Physica, generatim.

I. **A**B ineunte ætate de Operibus Dei naturalibus abjectè nimis sentimus, dum, verbi gratiâ, universum cœlum pro vacuo & inani spatio habemus & stellas in eo collocatas tanquam exiguas lucernas imaginamur &c. Et quia tam parvi facimus res creatas, ideo Creatoris magnificentiam non satis inde perspicere studemus, atque de apparente rerum illarum exiguitate potiùs, quàm de vera intellectûs nostri imbecillitate cogitantes, putamus eas omnes conjunctim aut singulas separatim simul & semel à nobis posse comprehendere.

2. Philosophiæ igitur officium est, erro-